e-codices

~~xx~~iconum gratus conspectus, non æqualium iucunda consuetudo,
sed nec splendida magnificaque urbis Romanæ facies potuit?
non imaginum non generis splendor atque nobilitas: non labantis
atque ingemiscentis familiæ lamentationes? non potuerunt frust
ra sua vela iuventus pandebat, frustra faventis fortunæ
auræ aspirabant. Benedictum reducere non poterant nec
aspera denique horridaque solitudo deterrere, atque repellere: quid ergo
potuit? unicus audite et obstupescite, unius propemodum aspectus
potuit, et potuisset sane ni abyssus illa misericordiarum illa
Paterna manus titubantem non tenuisset, fluctuantemque con
firmasset, ah quem nunc Patrem haberemus, quem ducem
Aud: Religiosissimi sequeremur? ubi terrarum ubi locorum
essemus miseri? certe adhuc mundi tenebris involuti iacere,
mus omnes, actum erat de nobis, sed nunc quem Patrem quê
Ducem, quem Patronum, quâ gloriâ, quo splendore, qua fœlici
tate habemus in Cœlis? gaudio perfundor maximo, cum de te
Benedicte cogito, imo terreor et exhorresco te namque (quis non
stupeat) unicus oculorum obtutus prope nobis omnibus abstulit
eripuit atque spoliavit. Sed hinc tandem nostra transeat oratio
ad vos dignissimi Christi tyrones redeat, vicistis igitur vicist,
is inquam, imo et victi a vobis estis at non ideo magnitudo
victoriæ imminuitur ac obscuratur, sed augetur, sed elucesc,
cit clarius, quid enim tam magnificum tamque præclarum
est quam seipsum vincere ac subiugare, turpis est victoria
sine suiipsius victoria, tot strenui milites, tot præclari duces
tot reges invicti, si post egregia sua facinora erectaque de
hoste trophæa se ipsos quoque vincere valuissent, omni laude
prædicatione, monumentisque iure merito dignissimi forent, ver,
um quam longe aliter videmus proh dolor fieri, turpe est me

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 319r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/319r)